Deo optimo maximo uni & trino, Virgini Deiparæ, & sancto Lucæ orthodoxorum Medicorum Patrono.

QUÆSTIO MEDICA

Quodlibetariis disputationibus, manè discutienda in Scholis Medicorum, die Jovis vigesimâ-quartâ Januarii.

M. ANDREA CRESSE', Doctore Medico, Præside.

An proxima quâ corpus alitur materia chylus?

QUAM venientis ævi tractu vel longissimo sobolis seriem exhibitura est fæmina quælibet, ejus sinu in breve coactam & ad amussim delineatam contineri qui affirmat, abundè Oedipi, jejunè partes defendit philosophi. Totum qui nascitur hominem novum esse rectiùs putaveris. Solus cæterorum animalium intelligentiâ & sensu præditus est. Has dotes animæ debet extensionis experti, figuræ, motus, loci, corruptionis nesciæ, corpori tamen, dum vita manet, obnoxiæ, cujus facultatibus exercendis (quas nè quidem ullas novit) nullatenùs necesse est ut intersit. Hoc, undè habemus nutriri, moveri, vivere, varium est pro diversâ, quibus stat, partium formâ, situ, dignitate, functione, usu, à quo nullum uspiàm supremi Conditoris designari consilium qui contendit (nè quid dicam apertiùs) Epicuri fautor, veritatis passim evidentissimæ habendus expugnator. Quantum experrigitur continuâ, alternâque fibrarum & carnis, nè ipsis quidem ossibus denegatæ, texturâ conglutinatum est. *Harum detrimenta non succi cujuslibet obvii, sed affinis & quam maximè familiaris assiduâ adjectione sarciuntur.*

NON pariter undequaquè absumimur. Soli ferè ætatis injuriæ fibrarum exposita est sui tenacior soliditas; ut minui, sic penè nescia reparari. Cave illi deneges, fictitio & inani balsamo urgendæ ad certam usquè metam vivacitatis privilegium attribuas; vel dic, quid sæpè sæpiùs de peragendo quem natura dederat vitæ cursu, deduxit nihil, suum omne oleum inter morbi diuturnioris molestias amisisse & ex iis unam propè ossium compaginem pelle amictam luridâ reportasse. Carnis vicissim mollitudo caloris edacitate gnaviter dissipatur & alimoniâ recreari prædivite, instaurarique desiderat. Multiplex esse & varium, quo proximè pabulo reficimur, nihil opus est; cui una eademque quaquaversùm quàm indesinenter renovet materia proponitur; eâ quæ fibras, ab alterâ quæ carnem constituit solo densioris compactionis titulo discrepante. Cum autem simplex illud & unicum, *tùm hujusmodi esse debet ut operâ quàm expeditissimâ & tantùm non nudâ illius appositione (amat enim natura compendium) perpetua nostræ substantiæ jactura redimatur*; cujus certè commoditatis gratia ibi cumulatior subesse censenda est, ubi major cum alendi corporis communi & similari ubiquè materiâ conformitas reperitur.

ERRAVERUNT majores nostri, graviter quidem; dùm partibus alimento defectis appetitum naturalem tribuerunt, quo emotæ, sugendo admonerent ventriculum suæ ut inopiæ succurreret. Hic tametsi non vocatus, eas audit, & undè ad saturitatem epulentur; promum agens vigilantissimum, continuò largiterque suppeditat. Ei accedit facultas hujusmodi à succo quodam amicâ pungendi virtute exornato, cujus fodicatus aculeis edendi desiderio (si modus adsit) non injucundo percellitur. Is succus non unicæ fami ciendæ, sed subigendis etiam & concoquendis alimentis utilis est. Simplex sit cibus, sit varius, solida liquidis, assis elixa, turdis conchylia misceantur; tùm illius, tùm caloris à vicinis profecti visceribus efficientiâ, suam omnem naturam perdunt, & chyli lactei cremoris æmuli proprietatibus involvuntur. Hic è ventriculo deturbatus in canales ab ætate nuperâ repertos se irruit, communi mox vastoque liquorum omnium alveo admittendus. Eò ut irrepsit, partes scinditur in diversas: salivam parturit, liquorem stomachicum, pancreaticum, mucum interioribus intestinis adhærentem, bilem, lac, semen, lympham; sanguinem quoque, ex paululo videlicet quod eructat sulphureo & ruborem adipisci idoneo. Hi succi propè omnes, quod privatum singuli apportent commodum, satis liquet. De chylo, undè emanant, & sanguine, fæturâ illius præcipuâ; utri alendi corporis sit honos deferendus, ambigitur; Nos (quod pace Antiquitatis fiat) hunc sanguini malè partum eripere; *chylo, propter eam quàm à naturâ obtinuit cum partibus nutriendis convenientiam, à sanguine prorsùs exulem, asserere consilium cœpimus.*

INTER varia quæ proponuntur partium discrimina, hoc primam ferè (præsertim apud eos qui nullo non loco turpe putant parere minoribus) fidem obtinet, ut aliæ spermaticæ, aliæ habeantur sanguineæ, temerè quidem, nec re satis attentè pensitatâ. Ad primum caput referunt ossa, tendines, nervos, ligamenta, membranas, ad alterum, cor, lienem, renes, pulmonem, jecur, quas ex solius penè sanguinis affusi concretione compactas quovis pignore asseverant. Earum mendaci rubore ducti, miserèque decepti sunt; alieno, non proprio, adventitio, non innato; qui vel ex ipso hepate, parenchymatum (ut vocant) primario, penitus evanescit & ut albedo quæ subest spermatica caput efferat, suo abitu locum præbet, si injectâ in illius portas tepente aquâ liquor omnis quo, ut ita dicam, suffarcinatum est, eluatur; argumento certè non facilè vincibili omnes ex quibus constamus partes, unâ esse & eâdem undequaquè naturâ; solidâ nimirum & seminali insignitas. Hinc etiam (quod rei caput est) scire licet; chylo cum iis longè majorem quam sanguini familiaritatem interesse. *Ille enim & albus est & spissari præterea ac solidescere earumquè adeò substantiam augere apprimè idoneus; Hic & ruber est & spiritu perfusus quamplurimo, avolare, dissipariquè promptissimus; crassescere, impingi, adhærere, (quæ succi mox nutrituri dotes sunt præcipuæ) prorsùm nescius.* Non raro igitur evenire meritò tibi persuadeas, ut nullâ quæ admodùm conspicua sit urgente causâ corpus quasi succo omni ab eo defluente contabescat, chylo quidem quo nutritur defectum, sanguine vicissim quo assiduè deteritur circumfluens. Hâc proculdubiò ægritudinis ratione premebatur, qui in Oeniadis decumbebat. Is macie penè confectus, nihil quidquam solatii, nec ab alimentis quantumlibet euchymis, nec à repetito sæpiùs medicamentorum vel suprà vel infrà purgantium usu perceperat. Itaque ergo (quod quivis facilè crediderit) suspicatus Hippocrates, propter flammam quam intùs alebat acriorem, chylum ei penè totum in sanguinem abiisse, venas non vice simplici, sed (exemplo quidem posteritatis imitationi minùs, quam admirationi proposito) dùm æger exanguis evaderet, pluries depleri imperavit, ut igne quo tacitè urebatur castigato, eâ chyli deinceps copiâ bearetur, quâ delibutæ & recreatæ partes, nativæ (quod evenit) habitudinis soliditati ac plenitudini redderentur.

PROXIMA quâ corpus alitur materia sic comparata esse debet ut valdè liquida, dum *circulationis* (vel usquè ab antiquissimis indubitatæ temporibus) imperio subjecta est; eidem subducta & parti oblata nutriendæ vestem mutet, moràque penè nullâ soliditatis caracthere, ad id munus obeundum præcipuè requisito, se involvat. At chylus hanc dotem quam non reperias in sanguine possidet summam. Id, pleraque inter alia, hydropicorum alvo conclusus humor, à chylo undè nascitur non admodum diversus, ostendit planissimè, qui vitro quidem dum paracentesi educitur perlucidior, & liquidissimus; igni posteà impositus moderato obscuratur & soliditate mucaginis modulum imitatâ paulo momento se induit. Si quam exigua sanguinis moles, chyli quæ ubertas sit præterea attenderis, nulla tibi erit dubitatio, quin illum unicè spargendis quaquaversùm spiritibus, hunc instaurandis partium detrimentis ultrò devoveas. Rem vel facillime dijudices si incisâ pedis venâ liquorem tepente aquâ exceptum observaveris cujus multò maxima pars albedine chylum referens, elapsâ minùs horâ, subsedisse funditùs, rubra eaque pauxillula sanguinem repræsentaris, non mole, sed propè uno quem secum portat colore aquam auxisse agnoscetur. Ipsa etiam ortus nostri initia, cæteroquin obscurissima, causæ quam defendimus, non mediocriter favent. Necdum enim (quod factæ in oviparis observationes contestantur) ulla sanguinis nota materni seminis candorem vitiavit, cùm uteri ut ita dicam incubatione, spiritus ex sinu illius altissimo elicitus, & suum jam omne effingendi humani corporis absolvit pensum & ejus alendi quoddam quasi tyrocinium exercere incœptavit. Non autem enato primulùm tunc temporis sanguine aliâ, quàm cum nullus adhuc is suberat materiâ fuimus enutriti, aut sumus postmodùm reliquo omni vitæ curriculo nutriendi. Sic igitur habeto perpetuam apud nos ejusdem illius quod ovo olim concludebatur colliquaminis generationem, viscerum nutritioni dicatorum operâ, celebrari; cujus partem agiliorem, parciorem & vi fermentationis acriùs diverberatam, sanguinem nimirùm, sufficiendis spiritibus: stabiliorem, uberiorem, & pacatam magis; chylum videlicet, alendæ corporis ὁλομελῆ natura dedicavit.

Ergo proxima quâ corpus alitur materia chylus.

DOMINI DOCTORES DISPUTATURI.

M. Andreas Cressé, Præses.
M. Armandus-Josephus Collot.
M. Philippus Caron.
M. Ambrosius-Nicolaus Chemineau.
M. Joannes Gelly.
M. Joannes-Baptista-Gabriel Fressant.



M. Renatus le Conte.
M. Franciscus Afforty, Pharmaciæ Professor.
M. Nicolaus de Jouuanci.

Proponebat Parisiis LUDOVICUS LEMERY, Parisinus, Baccalaureus Medicus. A. R. S. H. 1697.